

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio LVIII.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente,

CONRADO FASELIO

Jeverâ Frisio.

Dominica XXVII. post Trinitatis.

A. O. R. cl. lcc. III.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij*

An. Romm

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Deductione LIII.

PRÆSIDI

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Refore

Respondens

CONRADO FASSELIO

Jovis filio

Dominica & W. A. post Trinitatis

M. D. C. C. L. X. V.

—————

HALLIS SAXONUM

Pet. Henrichum Melchioris Ol.

liberij



ANALYSIS
EVANGELII
 DOMINICA XXVII. POST
 TRINITATIS.

Matth. 24. à v. 37. ad 42.

ANTELOGIUM.



Vaticinium est Petri 1.

*Ep. 3.3. Empacta sunt futuri
 ambulantes iuxta proprias con-
 cupiscentias & dicentes : ubi est
 promissio adventus eius? Quales sanè ubiq; fo-
 re inveniuntur. Propterea secundum placi-
 tum cordis ipsorum & ambulant in omnibus
 statibus & sine fronte iactitant nondum adesse
 tempus Christi adventus. Ne ergò unà cum illis
 decipiamur, Christus voluit tanquam beni-
 gnus Pater nos docere, imminere adventum
 omninò; simulq; ne pereamus, quomodoq; ca-*

H b h

vore

vere debeamus, informare. Id quod etiam ulterius declaratur in pericopa Evangelica.

T H E S I S I.

IN qua partim est dehortatio ab iis, quae indigna ad diem iudicij & quae preparationi adversantur; Ne simus securi propter subitaneum adventum: Id quod probat tum ex temporum novissimorum cum antediluvianis collatione, de qua conjunctim & in genere est ejusdem narratio v. 37. In quo Protasis sive antecedens summam: sicut erant dies Noæ. Vbi per dies metonymicè intelliguntur ea, quae temporibus, quibus Noa vixit, contigerunt: quod idem fere status temporum novissimorum, qui fuit ante diluvianorum, sit futurus: uti & Lucas exponit c. 17, 26. Quemadmodum & alias usitatum est, tempora denominari à Regibus, ita Christus tempora illa, sive dies vocat Noæ, uti tempora & Lothi dies Luc. 17, 29.

2. Sigillatim, quoad modum respectu conservationis individui, de esu: comedentes, seu vorantes, quemadmodum vox τρώγειν proprie usurpatur de bestiis, licet Joh. 2, 24. etiam de hominibus legatur.

3. De potu: & bibentes, Vel belluantes,

ut

705

uti ex Luca constat: ubi quò crapulam & ebrietatem vitent, monet.

4. Respectu conservationis speciei: nubentes. Seu uxores ducetes: quamvis generaliter usurpetur quoque, ut tam sponso quam sponsa conveniat Matth. 22, 30. & nuptui se tradentes, Non, quod Ambr. in Lucam ser. 17. monet, quasi alimenta Christus & conjugium damnare velit, cum in istis successiones, in illis nature subsidia sint; sed securitatem taxat & impietatem, ut in omnibus modus queratur: quicquid enim abundantius, à malo est. Sit aliquis consensus ad tempus, ut vacetis orationi, sit aliqua inter sollicitudines mundi, & intemperantia crapulam sobrietas religionis & inducia castitatis.

5. Et apodosis: ita erit etiam adventus Filii hominis. Hoc est eodem modo in novissimis temporibus, quæ adventum filij hominis ad iudicium proximè antecedent, vivent. Erunt ipsi carnaliter securi, vivent in lautitiis & delitiis, agitabunt convivias, celebrabunt nuptias, tati erunt huic seculo dediti, dicentes, pax & securitas, uti exponit Apostolus 1. Thessal. 5, 3. Atq; ut inibi non credebant venturum diluvium aqueum, usq; dum sunt experti: ita Epicuræi & contemptores non cre-

H h b 2

dens

dent seculum hoc finiendum. Unde Chryl. 78. in Matth. universalem predictamq; cladem & minimè creditam exempli loco proponere voluit, ut quoniam apud multos futura non creduntur, à similitudine prateritorum moveantur animo atq; credant. Et, què admodum August. inquit Ep. 80. inter illa mala, que tanquã summa & extrema creduntur, adhuc usquequaque frequentantur luxuriosa convivia, fervet ebriositas, avaritia grassatur, perstrepunt lascivicantus, organa, tibia, lyra, cithara, tessera & varia genera sonorum ac ludorum. Sed semper tuba illa terribilis nostris auribus obstrepat: Surgite mortui & venite ad iudicium.

6. Distinctim & in specie est tum explicatio v. 38. In quo summatim: sicut enim erant in diebus ante diluvium. Comparationem instituit, non causam allegat. Quomodo vixerunt homines ante diluvium; ita etiam sunt victuri ante ultimum adventum Domini, de quo etiam 1. Thess. 5, 3.

7. Et tempus: usque ad eum diem, quo intravit Noa in arcam. Hoc est ante-diluvianum homines peregerunt vite cursum citra omnem sollicitudinem; quicquid etiã Noe schus vel predicaris vel factitaris, usque dum
septem

septem diebus ante diluuium intravit arcam.
 Nec commoti sunt, nec cognoverunt, donec
 venisset diluuium & sustulisset universos: ita
 securi erunt tanquam nullum omnino ventu-
 rum esset malum quotidie lascivientes inces-
 santer, uti loquitur Chryl. hom. 78. in Matt.
 Licet probabiliter colligi possit Noachum cen-
 tum annis integris in exstructione arce fuisse
 occupatum; quia ex Gen. 5, 32. patet, ipsum
 quingentorum annorum fuisse, quando Sem Chā &
 Japhet genuit, & statim cap. seq. preceptum
 de exstruenda arca subijcitur; & quia Gen. 6, 3.
 anni 120. hominibus illorum temporum ad pœ-
 nitentiam concessi, à quibus postea ob eorum
 malitiam 20. decurtati sunt, uti monet
 Chrylost. hom. 25. in Gen. Irridebant arce
 preparationem, habet Theoph. in c. 24. Matt.
 propter incredulitatem, propter securitatem.
 Non tamen omnes perierunt aeternum, cum
 pœna publica etiam pios quandoque abripiant
 I. Cor. II, 32. & quidam carnis interitum su-
 stineant, ut spiritus eorum salvus fiat. Et ha-
 bet Chrylost. misericordia non uno impe-
 tu aquas super mundum effudit, sed per 40.
 dies depluit, ut hominibus daretur pœniten-
 tiæ spatium. Quia tamen plerique tales fue-
 runt, indefinite loquitur.

8. Et explicatio v. 32. In quo causa: & non cognoverunt, donec venit diluuium & tulit omnes. Hoc est, donec ipsi experientia edocti tandem Noachane predictionis veritatē cognoverunt notitia practica, quando continuis pluviis aquarum inundationibus diluuium toti orbi inducebatur. Antea enim fidem adhibere noluerunt; Verba enim notitia apud Hebraeos saepe connotant, motum, affectū & effectū, qui notitiam illam in corde sequitur.

9. Et modus: ita erit & adventus Filii hominis. Repetit denuo eadem verba, quia utrobiq; eadem mansere fata. Nam eiusmodi operibus occupati erunt usq; ad diem illum, ubi veniet Dominus ad iudicium: nec cognoscent, donec venerit igneum diluuium, quo totum conflagrabit universum. Nam erunt *Empacta*, habet Petrus 2. Epist. 3, 3. Et sicut illi 1. noluerunt credere, sic nec isti. Erunt 2. uti illic scelera, ita & hic: uti 3. de illis dicitur, quod omnis caro corruperit viam suam Gen. 6, 12. ita & in novissimis temporibus, ubi homines sunt seipso amantes, avari, elati, superbi, blasphemi futuri 2. Tim. 3, 2. simulq; innuit, quo quemadmodū illi servati qui arcā intraverunt; ita etiam nos servari possumus si arcā salutis intremus. Unde Aug. tract. 11. in Epist. Joh.

Joh. inquit. Noab ligno portante evadit dilu-
 vium. Ego similiter dico, nos fide in ligno
 crucis Christi tranamus in Baptismo diluuium
 peccatorum, ira & judicij.

10. A repentina conjunctissimorum
 separatione, ubi in agro commoratio, quo-
 ad viros v. 40. In quo tempus: tunc. *Vide-*
licet in adventu filii hominis, cujus in verbis
mediate precedentibus facta erat mentio: siqui-
dem continuus actus judicii extremi describi-
tur, & quide subitanus, uti patet etiam ex aliis
locis dñ vocatur 1. Th. 5, 3. reperiuntur interitus.

11. Et eventus, quoad consociatio-
 nem respectu numeri: duo erunt. *Quia*
rarò soli, & insimul respectum habet ad gentes
& Iudeos. Unde Hilarius can. 26. in Matth.
duos in agro h. e. duos populos fidelium & infidelium
quod itidem habet Hieron. in c. 24. Matth.

12. Respectu loci: in agro uno. *Scili-*
cet ac eodem laborantes socij. Quod quidem
non est illicitum & damnabile, sed tantum ra-
sione adjuncta securitatis. Unde Origenes
tractatu 30. in Matth. sicut mundus est ager,
duo generaliter sunt in eo, unus quidem sicut
Noa operarius terra, alter autem sicut Cain
operans terram.

13. Quoad separationem in approbatio-
 ne: unq asumitur. *Et ponitur hic presens pro*

futuro per enallagen temporis. In graco est δευτερον quasi dicat, unus ex illis assumitur: ut significet non solum infallibiliter, sed etiam derrepente. Non enim tantum hoc intelligitur, quod ante tribunal Christi sit congregandus. Et ad dexteram iudicis collocandus Matth. 25, 32. sed etiam quod assumendus sit ad Filium hominis, uti exponitur Luc. 17, 37. quod in consortium regni et gloriae coelestis sit evehendus, 1. Thess. 5, 17. ac ipsi conjugendus Joh. 17, 24. uti sponsus assumit sponsam. Ideoque nullus per se vitae status damnatur, sed in quovis homo salvare potest, si militet bonam militiam, 1. Tim. 1, 18.

14. In improbatione: & unus relinquitur. Seu deseritur. Non quod in agro sit relinquendus, quia ipse etiam ad tribunal Christi congregabitur Matth. 25, 32. sed quia non sit rapiendus in nubibus obviam Domino, nec gloria et beatitudinis corona donandus. Verbum enim ἀφείδου pro defectione usurpatur Matth. 15, 14. & 19, 27. Ita maritus uxorem relinquit 1. Cor. 7, 11. Unde Ambros. in c. 17. Luc. qui relinquitur, improbatur. Bonus ille seminator, qui non supra vias seminaverit, sed supra aratum ac cultum solum, ut fructum humilitate pressum non iactatione dispersum, serra multiplicet, assumitur. Relinquitur au-

tem

tem seminātor Zizaniorum. Est seminātor carnalis, est etiam spiritalis, hic assumitur, ille relinquitur. Ut discamus, diem iudicij esse diem separationis: ideoq; minimum fidendum alterius consortio, ut per eum putemus nos salvari posse.

15. Et quoad mulieres in molendino operatio v. 41, In quo iterum consociatio, respectu numeri: duæ molentes. Servorum erat proprium operari in agro, uti colligitur Luc. 17, 7 ancillarum laborare in pistrino, uti colligitur Exod. 11, 5. & Es. 47, 2. quod & Plutarchus in problem. tangit. Postquam igitur in precedente versu servorum mentionem fecerat, iam ancillarum subjungit. Et conjungit Christus molentes, ut ostendat etiam vilissimos homines habere cum aliis eandem sortem.

16. Respectu loci: in mola. Ubi est pistrinum. Unde etiam Ambrosius vertit per pistrinum. Quum verò dictum fuerit in mola laborare, colligitur ex eo male meritos in pistrinum ablegari, uti habetur Es. 47. c. 2. captivi hoc etiam præstare debuerunt Jerem. 52, 9.

17. Quoad separationem respectu approbationis: una assumitur. Id est approbatur; & quoad reprobationem: altera relinquitur. Id est reicitur. Nec enim divites omnes

perituros, habet Chrylost. hom. 78. in Matth. nec pauperes è contrario salvari omnes; sed utringq; & salvari & perire ostendit. Sicut enim ex singulorum animantium conventu congregabantur, dum in arcam quaedam sumebantur, quaedam solum in diluvio relinquebantur peritura; sic in die iudicii ex omni hominũ genere, ex quovis vite humanae statu, Christus quosdã ad se in arcam salutis aeternae assumet, quosdã verò relinquet diluvio irae divinae eternũ perdẽdos. Mola verò habet Hilar. can. 26. in Matt. opus legis est, sed q̄a pars Iudeorũ, ut p̄ Apostolos credidit, ita per Eliam est creditura & justificanda per fidem: ideò una per eandem fidem boni operis apprehendetur, alia verò in infructuoso legis opere relinquetur, molens incassum & non factura caelestis cibi panem. Et Autor imperfecti operis hom. 51. in Matth. Una mulier molens est Ecclesia Christi (Matt. 13, 33. simile est regnum caelorum fermento, quod accipiens miscuit mulier in tribus farinae mensuris.) Mola est orbis terrarum propter rotunditatem: lapis superior est verbum veritatis, quod descendit de caelo, ut terrena omnia complectatur & protegat simul & premat & molat. Dicitur autem lapis propter fortitudinem suam; inferior lapis est omne verbum impietatis, qui lapis dicitur propter duritiẽ suam

suam, qui de spiritu mundi deorsum ascendit, ut suscipiat omnia desursum venientia verba & adversetur verbo veritatis: Et hæc assumetur Ecclesia, quæ & videtur & est, illa autem quæ videtur & non est, relinquetur.

18. Partim est exhortatio, ubi ejusdem est ratio v. 42. In quibusdam quidem manuscriptis & typis impressis editionibus additur etiam in uno lecto, quomodo & legit Chrysostr. hom. 78. in Matth. Et August. l. 2. q. Evang. quæst. 44. Sed probatissimi & antiquissimi codices non habent. Hæc tantum apud Lucam leguntur. Ideo q̄ omittitur, & ad exhortationem hoc in versu acceditur, in quo præceptum: Vigilate. Quod significat corporis vigiliam non tantum Nehem. 7. 3. Matth. 26. 40. sed etiam animi vigiliam, quæ Christo & Apostolis usitatio significatio, uti Matth. 25. 13. Luc. 12. 37. Et sic Angeli etiam dicuntur vigiles Dan. 4. 10. Ut doceat, diligentiam esse adhibendam in officio. Vnde Gregor. hom. 13. vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet; vigilat q̄ servat operando quod credit; vigilat, qui à se torporis & negligentia tenebras pellit. Chrysostr. serm. 24. inquit: semper & ad omnia vigiliæ esse salutare nullus ignorat, quia verè plus vigilare, plus vivere

vivere est. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? Quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Beatus igitur, qui viglat, habetur Proverb. 8. 38. & Sap. 6, 16. qui viglat ob sapientiam cito securus erit. Vigilantibus certe Pastoribus nativitatis Dominice illud nuncium affertur Luc. 2, 8. Contra Simson dormiens fortitudinem suam Jud. 16, 19. Saul hastam & scutum 1. Sam. 26: 12. Sisfara Jud. 4, 21. Holofernes Jud. 13, 10. vitam suam in somnis amiserunt. Non verò quasi in perpetua corporis vigilia sit perdurandum, quia sponsa Christi dicit Cant. 5, 2. Ego dormio & cor meum vigilat, sed ut spiritualiter potissimum vigilemus: corporales tamen etiam vigiliis non negligamus. Unde in primitiva ecclesia ob persecutorum sevitiā antelucanos conventus instituerunt, uti habet Tertul. de fuga Christiani.

19. Et argumentum: quia nescitis qua hora Dominus vester venturus. Ideoq; omni hora debemus eius adventum expectare: nescitis, inquit, ut ostendat, se quidem scire, sed sibi, & non nos, uti Chrysostr. hom. 78. explicat. Et Dominum dicit venturum, dum creationem & redemptionem eius respicit, simulq; ad exemplum servorum reditum domini ex-

ni expectantium alludit Luc. 12, 36. Beatus ergo qui semper pavet, indurans autem cor suum cadet in exitium, ait Salomon Proverb. 18, 12. Sint itaq; quod habet Chrysoft. serm. 22. lumbi praecincti castitatis baltheo, fluxans carnis detineamus ignaviae Regis nostri expectatione pervigiles in somniū seculi nesciamus.

20. Amplificatio à patrefamilias, quam eo sine producit, ut ostendat quanto cum periculo coniunctum sit, si non singulis horis vigilemus, cuius narratio v. 43. in quo requisitum: illud autem scitote. Quod potest accipi & in Indicativo & in Imperativo: quasi dicat illud sciat is oportet. Vel etiam scitis quod apud omnes est inconfesso.

21. Et factum, cuius antecedens: quoniam si sciret paterfamilias, qua hora futurus est. Parabolicè ponit Patrefamilias alicubi parum vigilanti perfossam fuisse à nocturno fure domum. Et per horam intelligit vigiliā, uti & legit Syrus, siquidem veteres solebant in quatuor vigiliis noctem dividere. Per domum Synecdochicè partem domus innuit. Quamvis verò Hilario & Origeni durum visum Christi adventum cum furis adventu comparari, tamen alibi ita novissimus dies designatur 1. Thess. 5, 2. 2. Pet. 3, 10. Apoc. 3, 3. & 16, 17. respectu scilicet repentinae

& inopinata invasionis: Vnde Cass. l. 6. c. 28. similitudo Christi ad furem non est persona ad personam, nec negotii ad negotium, sed tantum temporis ad tempus.

22. Consequens: vigilaret utiq; & non sineret perfodi domum suam. Tanquam bonus paterfamilias. Ubi verba presentis temporis ponuntur pro futuro tum propter certitudinem adventus, tum quia singulis momentis debet quis paratus esse. Nam fur non expectatus obrepit quo tempore minime venturus expectatur.

23. Et applicatio v. 44. in quo mandatum cum apodosi: ita & vos estote parati. Ut sit argumentum à minus probabili ad majus: si enim ad hanc vitam pertinentibus patresfamilias tam sunt solliciti, ut propter eos tuendas vigilent, quanto magis in rebus ad anima salutem pertinentibus vigilantes nos esse convenit, cum in illis non de parietis fractura, vel rerum temporalium jactura, sed de anima exitio aeterno agatur. Hec inquit Chrysof. hom. 78. in Matth. ad erubescendum desidia mihi dicta videntur: Maiorem enim diligentiam exhibent pecuniarum conservandarum furem expectantes, quam nos salutis animarum. Vigilant enim tunc, ne aliquid sibi subripiatur, nos autem, quamvis certo sciamus, ventu-

venturum Dominum, non perseveramus tamen, neq; ita vigilamus, ut possimus ex hac vita discedere non imparati. Debemus ergo omnes vigilare, ne dies Domini nos in peccatis stertentes inveniat.

24. Et argumentum: quia hora ea, qua non putatis, Filius hominis venturus est. Dum diem iudicii noluit revelare. Vide, inquit Greg. hom. 13. in Evang. horam ultimam Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta; ut dum illam praevidere non possumus, ad illam sine intermissione preparemur.

N O T A.

- I. Sicut in diebus Noë) Considera Deum in promissionibus & exsecutionibus suis observare eandem rationem; ut discas priora respicere, ut posteriora cognoscas.
- II. Comedentes & bibentes) Considera luxuriam esse securitatis notam; ut discas eam vitare.
- III. Sicut fur) Considera inopinatum adventum filij hominis; ut discas semper esse parat9.

An facienda intra certum tempus sint differenda usque ad terminum?

Videtur I. Quia & latro in cruce in instanti morte poenitentiam egit, & raptus tamen est in paradysum Luc. 23. 42.


2. Quia qui intra certos annos aliquid face-
re tenetur, sufficit si vel ultimo die postremi an-
ni faciat, si quis 133. ff. de V. S. l. §. si intra
ff. de success. edict. l. quod quis ff. de oblig.
& action. l. arbiter intra certum ff. de arbit.

Non videtur 1. Quia unum quodq; justo
tempore fieri oportet ex Eccl. 1, 1.

2. Quia si fatalia non observantur causa ca-
dit. Vnde in jure canonico, si electus intra tri-
mestri spatium non eligat amitti jus c. postq;
11. dist. 50. & C. peluat. dist. 63.

3. Sic in leuteratione si non stricte observa-
retur ut offeratur intra decendiū, nulla est &
deserta. Daniel Mollerus ad constitut. Elect.
Ad argumenta contraria 1. Fall. conf. Aliud
est in pœnitentia, aliud in aliis rebus. Deinde e-
tiam hoc unicum, non ut sequamur sed ut con-
cludamus Deum neminem velle excludere.
Alias quod Siracid. monet c. 5. 8. observandum
ne differatur in diem pœnitentia, unus latro
recipitur, & alter tamen ejicitur. Vnde Augu-
stinus inquit serm. 120. de tempore. Tu mihi
latronis fidem ostende, & tunc tibi pollicere la-
tronis beatitudinem. Pœnitentia infructuosa
est que sera, idem ait Ps. 51.

Ad 2. Fall. cause: beneficia intemporalibus
quibusdam non ad exempla trahenda in omni-
bus arg. l. 3. ff. de privil. princip.



Næ decet in fibris cordis curare subinde
Quod monet officiū, poscit & ipsa salus,
Adventus Christi talis quia dicitur esse,
Qualis Noæi quando fuere dies.
Quando nubebant, potabant quando, vorabāt
Quando, Noeus scrinia donec inijt.
Nec cognoverunt aqua donec sustulit omnes;
Adventus Christi talis & illa dies.
Et si forte duo fuerint in finibus agri:
Unus erit probus, at reprobus alter homo.
Inq; molendino bina si quando molentes
Vna probata, sed haur altera talis erit.
Ergo decet vigilare, decet spectare, quod omnes
Nescitis Dominus quando venire velit.
Scite seã hoc quod si Dominus cognoscat adesse
Fures, hos sineret non penetrare domum.
Se paret omnis & hinc, hominis quia filig, hora
Næ presens, qua vel nemo putavit, erit.
Talia Faselius proponit. Talia fibræ
Cordis agant! Sic ad cuncta paratus erit.

testatur GUEINZIUS.

Fœdera inire tori, potuq; ciboq; fruisi
Est licitū, DOMINI si timor ullq; adest.
Verum viventes quales vivente Noeo?
Gaudebant solūm quærere carnis opus:
Affi-

Assimiles istis quibus jam cernere multos
Judicii siquidem proximat illa dies
Tu verò pietate cluis **CONRADE FASELI**
Quod placet. Ergo mane tu prius atq;
probus!

Et submittentem tibi **Jova** favebit
Ac perget studium prosperitate tuum

*M. MICHAEL HELLER Past. Xe-
nodoch. & adjunct. Mauric.*



AD AMICUM RESPONDENTEM.

PUras natatu traicit a quore
Ceu turba ludens inter aquas cite
Prime sagenis clauditurq;
Quas populator aque locavit
Intentus auceps, que alliciunt sono,
Et ceu volucres implicitas tenet
Suprema sic lux irruet, quum
Nemo putat, neq; suspicatur.
Natus **Jehove** premonuit, cata
Monstrant **FASELI** memora. Perstet is
Et post **FASELUM** sic gubernet
Tangere sic poteritq; portum.

L. Mq; applaudens concin-
nabat
Joh. Benedictus Schubart.
Halâ Saxo.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST.

HALLS

Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Black
Cyan	3/Color
Green	White
Yellow	Magenta
Red	Red
Yellow	Magenta
Green	Red
Cyan	Yellow
Blue	Green
Blue	Red
Blue	Black

...IARUM
LICARUM

...io LVIII.

...SIDE
...GUEINZIO

...i Hallensis

...ctore

...dente

...O FASELIO

...Frisio.

...I. post Trinitatis.

...o. Inc. III.



...AXONUM

...Melchioris Oel-

...egely

An. Romm